



BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0409

Sabato 22.06.2013

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL 1150° ANNIVERSARIO DELL'ARRIVO DEI SANTI CIRILLO E METODIO IN TERRITORIO CECO (VELEHRAD, 5 LUGLIO 2013)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL 1150° ANNIVERSARIO DELL'ARRIVO DEI SANTI CIRILLO E METODIO IN TERRITORIO CECO (VELEHRAD, 5 LUGLIO 2013)

In data 10 maggio 2013, è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Josip Bozanić, Arcivescovo di Zagreb (Croazia), a Inviato Speciale del Santo Padre alla celebrazione del 1150° anniversario dell'arrivo dei Santi Cirillo e Metodio in territorio ceco, in programma a Velehrad (Repubblica Ceca) il 5 luglio 2013.

L'Em.mo Card. Josip Bozanić sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti Ecclesiastici:

- Rev.do Mons. Tomáš Holub, della diocesi di Hradec Králové, Segretario Generale della Conferenza Episcopale Ceca;
- Rev.do P. Ladislav Nosek, S.I., Vicario parrocchiale della parrocchia di Santo Stefano a Praga e Cappellano in alcune scuole cattoliche ceche.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Papa al Card. Josip Bozanić :

• **LETTERA DEL SANTO PADRE** *Venerabili Fratri Nostro*
IOSEPHO S.R.E. Cardinali BOZANIĆ
Archiepiscopo Metropolitae Zagrebiensi

Congruum solet catholica Ecclesia cultum Sanctis cunctis praestare iisque potissimum qui operibus insignibus animose sciteque vacaverunt, quique, bene de Ecclesia meriti, clara virtutum exhibuerunt exempla itemque flagranti permoti studio penitus se Deo consecrarunt Evangeliique nuntio diffundendo. Inter hos sunt annumerandi procul dubio sancti Cyrillus et Methodius. Etenim "suo charismate exsequendo Cyrillus et Methodius decretorias quasdam partes ad Europam aedificandam attulerunt non in communi modo religiosa et christiana, verum in unitate etiam civili ipsius et culturali" (*Slavorum Apostoli*, 27).

De horum caelitem in Magna Moravia adventus rogatu principis Rastislavi millesima centesima quinquagesima iam appetit memoria, quae mox sollemnem in modum Velehradi celebrabitur. Compatronorum horum Europae recordatio dat copiam oecumenica incepta sustinendi ac christianum cultum inter ipsius gentes amplificandi.

Quapropter libentes volentesque postulatis occurrere volumus Venerabilium Fratrum Episcoporum Reipublicae

Cechae. Cum autem Nos huic eventui recolendo interesse Ipsi non possimus, eminentem Praesulem mittere decrevimus, qui animi Nostri sit interpret ac Nostram dilectionem deferat. Ad te igitur, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, quem omnino parem iudicamus huic officio sustinendo, quippe qui probanda praestes sollertia singularique actuositate. Itaque magnam aestimationem Nostram significantes, te ***Missum Extraordinarium Nostrum*** ad illum sacrum ritum die V proximi mensis Iulii agendum renuntiamus et constituimus. Universis quidem huius commemorationis participibus cunctisque adstantibus Nostra bona verba Nostramque benevolentiam ostendes, quibus omnes Pastores, in primis Archiepiscopum Metropolitanum Pragensem Dominicum S.R.E. Cardinalem Duka, O.P., septuagesimum aetatis agentem annum, et fidelium communitatem complectimur. Ipsorum sanctorum Cyrilli et Methodii in omnes devocamus patrocinium, qui supernis beneficiis eosdem iuvare dignentur, ut inibi homines sine cunctatione vel tarditate in iisdem atque ipsi incurrant vestigiis. Benedictionem demum Nostram Apostolicam Nostro nomine impertias volumus, quae sit superni subsidii firmamentum et animorum renovationis incitamentum.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXIX mensis Maii, anno Domini MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

FRANCISCUS

[00940-07.01] [Testo originale: Latino]
